

(2) Erubescencia ac Pudor non unius est generis. *A* Cum nolumus ultrò pudesceri, per legem excitati, erubescendum est per adversitatum copiam, quando bonore, opibus, sanitate bonisque aliis turpiter sumus privati.

USUS E VERSU XVII.

(1) Contumelia, exprobrationes, calumnia, & peccata sunt & peccatorum pœna.

(2) Vindicta propria peccat contra V. præceptum; permittiturque nonnunquam hosti contra eum, qui ira odioque nimium indulsit antebac.

(3) Contra contumelias remedium haud postremum est Silere, Deoque rem committere: Pf. xxxix, 10.

(4) Multi etiam pii experiuntur ignominiosa fata.

USUS E VERSU XVIII.

(1) Membra ecclesie omnia eveniunt quandoque mala, b. e. copiosis grandibusque involvuntur infortunis, quorum causam non è vestigiò satis assequuntur. L. de persecutione.

(2) Dei nunquam debemus oblivisci; etiam in tentationibus pressurisque arctissimis invocandus ipse est, celebrandus, pro Patre habendus, &c. Job. I, 21.

(3) Fœdus Dei semper sit maneatque inviolabile; quod in circumcissione, & nunc in Baptismo, promissum est, præstari debet sine exceptione: 1. Pet. III, 21.

(4) Violatur tamen illud aliquando per ignorantiam, precipitantiam, imbecillitatesque alias; sed quod è vestigiò respicientibus Deus paternè condonat: Matth. xxvi, 75. 2. Tim. II, 12.

USUS E VERSU XIX.

(1) Cor à Deo nunquam debet vagari aut retrocedere; adhaerendum potiùs ipsi in prosperis atque adversis omnibus: Psalm. lxxiii, 28. Quo arctius infans se matris implicat brachiis, eò tenetur fortius: sic nostra fides Divinis promissis.

(2) Græsiùs seu actiones nostra à tramite divini verbi non deflectere debent, vel ad dextram, vel sinistram, b. e. nec in excessu nec in defectu delinquere: vid. Luc. I, 6.

USUS E VERSU XX.

(1) Afflictione conterimur instar granorum, &c. Immittuntur hæc, molitore supremò sapienter justequè ordinante. L. de Cruce.

(2) Draconibus similes se præbent tyranni hujus sæculi.

(3) Caligo crucis omni gaudiò nos privat, terroribus opplet, periculis exponit, perspicaciam mentis im- *C* pedit, &c.

USUS E VERSU XXI.

(1) Dei nunquam oblivisci debemus: vid. vers. 18.

(2) Invocatio ad solum dirigenda Deum, non ad Deos fictitios, vel Sanctos demortuos. vid. præcept. I.

PSALMI XLV. DISPOSITIO.

Rosa. Epithalamium Christi.

Post titulum epithalamii hujus sanctissimi ac mystici vers. 1. attenditur.

I. Exordium, ubi (1) objectum tractandum, est Verbum bonum de Rege, opus Psaltis: (2) modus tractandi: cor meum ebullit; lingua similis calamo Scriptoris expediti: vers. 2.

II. Regis encomium: cujus (1) formositas omnes antecellit homines: vers. 3. (2) labia sunt gratiosa: (3) benedictio est divina ac

(3) Certi sunt precantium gestus, pro diversitate tamen nationum diversi, v. g. expansio manuum, &c.

USUS E VERSU XXII.

(1) Deum cordium scrutatorem arcanorumque omnium conscium recordemur jugiter: Psalm. cxxxix, 1. seqq.

(2) Semper nos ita geramus, ut ad hunc ingenuitatis nostræ testem provocare audeamus: Joh. xxi, 17. 1. Joh. III, 21. 2. Reg. xx, 3. 2. Tim. IV, 7. Jes. xxxviii, 3.

USUS E VERSU XXIII.

(1) Propter Deum interfici, b. e. omnia adversa propter religionis veræ confessionem quotidie perpeti, imò penitus etiam violentà morte tolli, verè demum est vivere inchoare. Matth. X, 39.

(2) De martyriò vid. præcept. II.

(3) Christo, ovi innocentissima, quadantenus assimilari, ovemque mactationis fieri, gaudium gloriamque piis præbet maximam. 1. Pet. IV, 14. 16. II, 21. Huc gaudium Apostolorum, Act. V, 41.

(4) Christiani non plectunt, sed plectuntur: hæreticos non interficiunt, sed ab hæreticis jugulantur. Religionis est non cogere ad religionem.

USUS E VERSU XXIV.

(1) Auxilium Dei, velut dormientis, differtur, sed non aufertur: evigilat tempestivè.

(2) Repellit ad tempus, ut tantò arctius respicientes postmodum amplectetur. Matth. VII, 7.

USUS E VERSU XXV.

(1) Pii dicunt, quare? non expostulandi, murmurandi aut temerè sciscitandi, sed flebiliter deprecandi stentendique animo.

(2) Occultatur Dei vultus, quando gratiæ Sol ad tempus occultatur, vel plenis suis radiis nos non exhiberat. Eadem oblivionis ratio.

(3) Miseriæ pressuræque fidelium multiplices. L. de Cruce.

USUS E VERSU XXVI.

(1) Adversitates animos deprimunt elatos, nosque de terrâ terreos commonefaciunt.

(2) Humilitas comitatur despectum. De hoc per Deum & in Deo humiliatione exultandum: Psalm. cxix, 67. 71.

USUS E VERSU XXVII.

(1) Si Deus ad auxilium debet surgere, surgamus ipsi prius è peccatorum lutò: Rom. xiii, 11.

(2) Redimimur per Christum ex aternâ morte pretiosè: 1. Corinth. VI, 20. 1. Pet. I, 19. ex presentibus arumnis per ejus omnipotentiam gloriosè; omnia tamen fiunt propter meram gratiam.

æterna: ibidem. (4) armatura: gladius ac-
cinctus, vers. 4. itemque majestas gloriosa,
ibid. (4) Ingressus: vel processio ad prælium
gloriosa atque fausta, & quidem in gratiam
veritatis & justitiæ: vers. 5. (5) Successus:
(a) dextra tua docebit te terribilia. ibid. (b)
tela tua acuta: vers. 6. (c) populi tibi sub-
jicientur inter hostes tuos medios. ibid. (6)
Regnum: thronus tuus, ô Deus, est aternus.
vers. 7. sceptrum regni est aquisissimum:
ibid.